


LIBER


SECUND

Gerardi Alesii

Norici Vindobonensis

Europa





Europa

Europe sua cum fata querens daret
Cretensi lacrimas assiduas humo,
en formosa aderat diva thalassia
et solacia contulit:


„Europe, tribues iam tua nomina
parti“ dixit enim „non modicae globi.
Coniunx tu Iovis es. Progeniem feres
magnam quae dominabitur

fraternisque gerent imperium ultimum
in cunctos animis. Filius et meus
illustrare tuas proveniet plagas
Troiae post obitum pius

pacem qui populis condere se dicet
iustis impositis moribus et bonis.
Hac ex gente mea surgere desinent
numquam magnanimi quibus

proferre imperium cura vigil tuum et
supra sidera amor cordibus aestuat.
Hinc quam Roma potens quamque erit
omnibus
dux miranda, iubar poli!

Cum nil non pereat - di quoque solvimur
ad finem - tamen haec Roma diu tibi
durabit dominans sive iterum aurea
nascetur domina et nova.



Ipsa pulcrius est, est aliquid tamen
Roma quod populi viribus impigris
informare velint atque ideam vocent
docte: Romam ideam vocent.

Haec communis erit tum requies mali
solamenque animi spesque futura pax
Europe, tua pax! cum furor impius
rursus sustulerit caput

tum cum praecipites perniciem inruent
gentes immemori pectore vinculis
ruptis foederis et fontibus obrutis
ortus, ferrea cum ingruet

aetas sanguinis - heu! - flumina proferens
foede; milibus et praeteritis tribus
annorum venient tempora tristibus
caecisque auspiciis mala

queis radicitus Atlas doleat quati
(ut compage sua firmus olympifer
everti metuat) mundus et horreat
bellis interitum impiis

totus. Quae tenebrae, qui furor obstruit
mentes? Quae rabies tale creat nefas?
Atqui tempus habet Thrax Boreas suum
tempestasque cadit fera.

Praesens auxilium stirps tua conferet
annis inferior robore praevalens
quae trans Oceanum tecta colet sua
qua sol occiduus rubet.

Amplis haud dubie perpetuas meret
grates pro meritis, ne tamen adrogans
fiat progenies neve superbiat
bardis viribus insolens.

Si turbare velit stirps nova, mitiga
Europe, aspera tunc Oceani aequora
ut se concilient fratribus; hi quoque
concordes maneant sibi

uniti maneant, mente pia modum
servent atque fidem, iustitiam colant,
libertas vigeat, floreat aequitas
ut paci bene consulant.“